



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Francisci Svarez Granatensis E Societate Iesv
Doctoris Theologi, Et In Conimbricensi Academia Primarij
at[que] Emeriti olim Professoris Tractatvs Qvinque, Ad
Primam Secvndae D. Thomae**

Suárez, Francisco

Mogvntiae, 1629

7. An & quando delectatio appetitus sit mortale peccatum ex consensu voluntatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94065](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94065)

Missione orare, neque dicere, *dimitte nobis debita nostra*. Videatur lib. 1. contra duas epistolas Pelag. cap. 13. & in Psal. 142. & tractatu de pugna anima tom. 9. Idem sentit D. Thomas 1. 2. quest. 75. art. 2. ad 3. Albert. 2. d. 9. 2. 4. 9. Bonaaventura art. 5. Scotus, & Almaynus supra. Confirmatur ex scripturis, & Conciliis allatis supra: nam docent concupiscentiam nihil nocere cum ei veraciter resistitur: ergo supponunt posse aliquem pati hanc concupiscentiam sine peccato: præterea de motibus, qui insurgunt ex dispositione corporis, vel naturali alteratione, videtur res indubitata, nam est evidens experientia non esse in nostra potestate, quod Paulus ipse de se faceret ad Romanos 7. *Quod nolo, illud facio*. Deinde de aliis motibus, qui consurgunt ex apprehensione, & quæ fore est evidens: nam non potest homo omnem apprehensionem imaginationis prævenire, quia sæpe oritur ex præsentia obiecti sensibilis, quam non potuit homo vitare, quia fortuito casu occurrit: vnde recte Augustinus de spiritu, & litera cap. 34. non esse (inquit) in potestate nostra quin quibusdam visis tangamur. Item sæpe ex cogitatione relicitæ, turpis quædam phantasiæ motio insurgit antequam homo possit attendere, imò sæpe, vt infra dicemus, non tenetur homo honestæ rei, imò neque turpis cogitationem repellere, ne involuntariæ concupiscentiæ motus insurgat, quando alias cogitatio licita est. Rursus etiam postquam ratio aduertit, potest esse tam vehemens imaginationis apprehensio, vt non possit voluntas omnino eam repellere. Denique virtute demonis fieri potest, vt istæ phantasiæ in nobis excitentur. Videantur dicta apud D. Thom. 1. 2. quest. 17.

IV. Ad fundamentum contrariæ sententiæ negatur antecedens: ad argumentum respondeo contra num. 1. cupiscentiam dici posse malam, etsi voluntas non consentiat, non formaliter, sed obiectivè, vel non tam moraliter, quam naturaliter, quia est de se indecens, & dissonum rationi naturæ, & fortè D. Thomas in illo loco tertiæ partiis hoc modo est latè vsus nomine peccati, nam hoc satis est, vt in Christo nullo modo fuerit ista concupiscentia, licet in eo possit peculiaris ratio assignari, ipse enim poterat prævenire omnes hos motus, & ideo nonnulla videretur culpa, si aliquem præmitteret: in aliis vero locis explicandus est iuxta dicta, & non admittenda eius sententia. Cum vero dicit peccatum veniale esse magis in appetitu sensitivo, q̄ mortale, interpretandus est secundum quandam attributionem: nam quia veniale peccatum potest esse imperfecte humanum, & voluntarium, & sensus aliàs est, prima origo, & causa eius, ideo illi tribuitur mortale vero peccatum, quia perfectam deliberationem requirit, per se primo tribuitur voluntati.

SECTIO VII.

Quando delectatio appetitus sit mortale peccatum ex consensu voluntatis.

I. Duo certa. Vnt duo in hac questione certa. Primum sæpè dictum consensum esse mortale peccatum, licet tota eius malitia sit in consensu voluntatis inhaerenter, iuxta superius dicta. Secundo certum est duo requiri, vt iste motus sit peccatum mortale: primum concupiscentiam esse turpem, & in re graui: secundum est consensum voluntatis

esse perfectè deliberatum, ostendimus enim supra sine his nunquam peccatum mortale committi. Vnde duo puncta restant declaranda. Primum, quæ delectatio, vel motus appetitus sit sufficiens obiectum peccati mortalis. Secundum quando voluntas est iudicanda sufficienter consentire.

PVNCTVM I.

Quæ delectatio sit mortale peccatum.

Aduertendum primò est D. Thom. & alios totam istam specialiter disputare de delectatione concupiscentiæ, quia in ea frequentius committitur peccatum: hæc tamen, quæ dicimus seruata proportionem applicari poterunt aliis passionibus. Aduertendum est secundò non esse sermonem de delectatione, quæ coniuncta est cum executione operis exterioris, nam de illa est eadem ratio, quæ de opere, de quo infra dicemus: sed est sermo de interiori delectatione, non quæ coniuncta est cum executione operis exterioris, sed de interiori delectatione, quæ ex cogitatione turpis operis nascitur, quæ dupliciter oritur, iuxta D. Thomam, primò ex cogitatione sola, alio modo ex re cogitata, quæ apprehensione sit ita præsens, ac si reuera adesset, & talem delectationem infert, qualem efficeret res in præsentia.

Prima propositio. Delectatio de sola cogitatione non est per se mala, neque obiectum peccati, licet opus cogitatum turpe sit, vnde si voluntas consentiat, per se non peccat mortaliter, sed interdum venialiter, interdum nullo modo. Est D. Thom. 1. 2. q. 74. art. 6. & q. 15. de veritate art. 4. & 8. & communis. Et ratio est, quia cogitatio illa per se non est prohibita: ergo neque delectatio illam consequens: nam talis est delectatio, quale opus, ex quo sequitur, nam accessoriū sequitur naturam principalis, & effectus imitatur causam. Antecedens probatur, quia delectatio, vt sic, neque versatur circa verum vt verum: opus autem licet sit malum in ordine ad appetitum, tamen vt est quoddam verum, & intelligibile non est per se malum, ergo neque cogitare de illo est per se malum. Et ex hoc parent aliæ partes conclusionis, nam cogitare de his rebus, interdum fieri potest recta intentione, vt ad intelligendam necessariam, vel vtilem veritatem: sæpe vero deficit, & deest bona intentio, & saltem actio manet otiosa. Dico per se, vt excludam, quod potest esse per accidens, scilicet periculum consentiendi in aliud opus prauum mortaliter, nam exponere se tali periculo, mortale peccatum erit, & hæc delectatio subintelligenda est in omnibus, quæ dicemus.

Secunda propositio. Delectatio, quæ oritur ex opere cogitato, quod de se mortale peccatum est, etiam ipsa de se est mortale peccatum. Aduerte dupliciter posse aliquem consentire in hanc delectationem, primò appetendo opus, cui est coniuncta delectatio, id est, desiderando executionem eius, & hoc modo est de fide, Matt. 5. *Qui viderit mulierem ad concupiscendum, & cæte.* & ad Romanos 7. *Non concupiscite.* & ratio est, quia illa voluntas est directe legi contraria, & obiectum illud est mortale, & prohibitum. Secundo modo potest quis consentire delectationi operis cogitati, ita vt reuera nolit opus, & proponat illud non facere, tamen velit in eo sic cogitato delectari, & hoc sensu conclusio est vera, & eam tenet D. Thomas 1. 2. q. 74. art. 5.

REZ
OTIO
V

8. & 2. q. 154. & communiter Doctores 2. dicitur 4. qui hanc vocant delectationem morosam, & Summistae omnes verb. Delectatio morosa, Henrici quodlibet. 6. q. 4. & materia de Eucharistia q. 4. Augusti 12. de Trinitate cap. 12. facit illud Ierem. 4. Quousque morabantur apud vos cogitationes noxiae. Vide Iob. 31. Psalm. 4. Sapientie 1. Ex quibus locis colligunt Sancti in delectatione cogitationis posse interdum committi peccatum mortale, & non ratione cogitationis, vt diximus: ergo ratione operis cogitati. Rationem reddit D. Thomas, quia qui delectatur in opere prauo cogitato, necessario habet affectum propensum ad opus ipsum, nemo enim delectatur nisi in his, quae amat.

V. Dicit quis, illud appetere quidem opus, sed non in re, sed in cogitatione tantum: sed contra hoc est, nam opus ipsum prauum cogitatum secundum se est peccatum mortale: ergo & delectatio, quae ex illo nascitur. Instabis. Opus in re factum, & velle illud hoc modo, est peccatum mortale, quia hoc est prohibitum, tamen velle illud in cogitatione, non videtur lege prohibitum, atque adeo neque mortale: ergo neque delectari in illo isto modo. Sed contra, nam opus, & delectatio, quae ex illo nascitur, in moralibus non sunt duo, vnde vno & eodem precepto prohibentur, & malitiam habent eiusdem rationis: at vero is qui delectatur in opere cogitato, actu fruatur delectatione eiusdem rationis: atque adeo eiusdem turpitudinis cum delectatione quae ex opere in re ipsa nascitur: ergo illa delectatio est prohibita. Confirmatur: nam numquam opus illud delectaret, quod cogitatum est, nisi ipsum secundum se amaretur, nam cogitatio solum est conditio quaedam, vnde licet is, qui sic delectatur, non intendat opus, quia non respicit executionem, tamen reuera amat illud secundum se. Confirmatur: nam qui vult effectum, vel propriam passionem, virtute vult causam, vel essentiam: haec autem delectatio est tanquam passio consequens opus: ergo, &c.

VI. Contrarium tenuit Lyrantus circa id Matth. Lyrantia 5. Qui viderit mulierem, &c. Fundamentum effectum con potuit, quia illa delectatio per se non est mala, tranne dimo in al quibus potest esse honesta: ergo illam ita eiusque per se appetere si non ordinetur ad ipsum opus, vel ad aliud mortale crimen, non erit mortale, sed veniale. Confirmatur primo, quia in illo obiecto nullum est graue damnum contra charitatem Dei, vel proximi. Confirmatur secundo, nam Augustinus supra significat hoc peccatum esse leue, pro cuius remissione dictum est illud, dimitte nobis debita nostra: quod tamen pro remissione venialium docet in Enchirid. cap. 71. Et hanc (vt fertur) putauit probabilem opinionem Victoris: sed omnino est cauenda, & improbabilis, quia est contra omnes Teologos, & occasionem prae libidini, & ruinae. Ad argumentum respondeo illam delectationem esse intrinsece malam, sicut est fornicatio, atque adeo in nullo esse licitam si sit eadem moraliter, secus vero est, si opus ex quo nascitur moraliter mutetur. Ad confirmationem dico similiter illud obiectum per se esse contra charitatem, per accidens vero est, quod ex intentione operantis non feratur vsque ad opus. Ad Augustinum respondeo cum D. Thom. 1. 2. q. 74. a. 9. solum docere istam delectationem morosam esse minus peccatum, quam sit consensus in opus ipsum, tamen intralitudinem peccati mortalis, & illa verba, dimitte nobis pro peccatis venialibus, sed non solis esse dicenda.

VII. Ex his colligitur regula ad intelligendum, an

consensus ex delectatione sit mortale peccatum ex obiecto nec ne? nam respiciendum est ad opus ipsum, & talis erit delectatio, quale opus. Videatur D. Thomas 2. 2. q. 154. art. 4. & Nauar. cap. 16. num. 6. & 7. Caietanus verb. Delectatio morosa, qui tamen addit delectationem de opere cogitato si non sit de substantia operis, sed de singulari quodam, & mirabili modo efficiendi opus ipsum, dicit per se ex obiecto non esse mortale peccatum, quia ille singularis modus est quid distinctum ab opere, & potest esse delectabilis per se: & similiter quando ille modus per se est quid indifferens ad bonum opus, & malum: vt si esset sagacitas quaedam, & calliditas, quae per accidens & quasi in quodam exemplo cogitatur in opere malo, tunc certe delectari de illo modo non est per se peccatum mortale, dummodo delectatio, quae proprie est turpis operis, non simul oriatur, si vero modus efficiendi illud opus quantumcumque sit mirabilis, in illo genere proprius sit, & quasi determinatus ad opus turpe, non video qualiter possit diminueri culpam: nam turpius est delectatio, quae oritur ex opere sic cogitato, quam si simpliciter cogitaretur: neque potest quis tunc delectari de opere, vt est mirumquid, & non vt est malum, nam haec intellectu possunt praescendi aliquo modo, & ideo si delectatio esset de sola cogitatione, haberet id locum: secus vero videtur si sit de malo cogitato, & de re sub illo commodo cogitata, quia modus ille non potest delectare, nisi prout est aliquid ipsius operis, neque parit delectationem alterius rationis a delectatione ipsius operis, & ideo Caietani doctrina, non est indistincte probanda.

Sed quaes, quando delectatio de cogitatione censenda sit, vel de re cogitata? Respondeo ex effectu sumi aliquod signum: vt si ex tali delectatione sequantur turpes effectus, &c. quod signum est probabile, non certum: ideo, vt D. Thomas ait q. illa 74. art. 6. intentio, & affectus operantis praecipue consideranda sunt: nam si mouetur ad permanendum in illa cogitatione ex bono motiuo, signum est delectationem oriri ex sola cogitatione: secus vero est, si mouetur ex turpi aliqua occasione, vel etiam line villa causa, vel necessitate, licet nullum etiam istorum sit infallibile signum, quia res tota pender ex voluntate, & intentione.

Ex dictis colligitur primo delectationem quae sequitur ex opere cogitato, quod eo tempore, quo cogitatur, est licitum cogitanti, per se non esse peccatum mortale, quia vt diximus, delectatio, & opus, eiusdem rationis sunt. Vnde recte dixit illa quae 74. Caiet. art. 8. coniugium qui viuente altero coniuge, in absentia tamen eius, delectatur in opere cogitato, non peccare mortaliter, (licet Nauar. supra oppositum affirmet) patet ex dictis, quia ille actus cogitatus, ex quo sequitur delectatio est licitus huic coniugi hoc tempore, nam est actus matrimonii. Item illa delectatio in re posita non esset mala: tandem consensu in actum illum hoc tempore exerceendum non est peccatum: ergo, &c. Nec fundamentum Nauarri vrget, scilicet talem delectationem fore peccatum, si alter coniux esset mortuus, vt statim dicemus: ergo si est absens. Negatur enim consequentia, quia non est similis ratio: nam postquam per mortem est dissolutum matrimonium mortaliter, mutatur tota ratio actus, & delectationis, quia mutatur obiectum: intelligitur autem hoc per se semper excluso periculo effusionis, &c.

Secundo sequitur delectationem sumptam ex actu, qui per se est peccatum mortale, sub conditione tamen excludente turpitudinem, vt si sit lar. ut li.

Confirma-
rium ex li
dis.

VIII.
Quasi
culam
ur.

VIII.
1. Corin.
ex dictis.

X.
1. Corin.
lar.

si licitum, vel, si esset vxor, ex obiecto esse peccatum mortale, que est communis sententia. Legatur Caietanus, & Nauarrus: & ratio est, quia licet consensus conditionatus videatur respectu actus, tamen respectu delectationis est absolutus. Patet, quia delectatur, ac si potiretur ipsa, & tamen hic, & nunc illa delectatio est illicita sicut actus ex quo sequitur. Confirmatur, nam delectatio non sequitur, nisi ex obiecto amato, & consecuto, vel apprehenso, vt tradit D. Th. 1. 2. q. 12. art. 3. ergo, qui sic delectatur, amat illud obiectum, & apprehendit illud tanquam consequutum. Sed contra primo: nam conditionalis nihil ponit in esse. Secundo illa conditio addita prescindit malitiam. Tertio sequeretur hunc actum esse malum si non esset tempus. Quod agere comedere carnem. Respondeo, si ille consensus esset pura velleitas, que non afferret delectationem similem illi, quam obiectum turpe habet ex natura sua, non esset peccatum mortale: secus vero est, quando ad actum in effectu, & sequitur delectatio: nam actus tunc iam ponit aliquid turpe in esse: ergo quantum ad id non est pure conditionalis: vnde ad tertium nego sequentiam, quia ille actus est simplex desiderium imperfectum.

XI. Sunt tamen duo aduertenda. Primo esse differentiam inter actiones natura sua malas, vel malas, quia prohibitas: nam in illis non licet delectari sub quacumque conditione, quia semper delectatio oritur ex motu per se prauo: in his vero, quia secundum se, vel honesta, vel indifferentes sunt, potest quis sine peccato mortali in illis sic consideratis delectari, quod fit, quando apprehenduntur ablata prohibitionem. Secundo aduertendum, an ille actus, vel delectatio per se sit capax alicuius motui honesti, licet fortasse hic, & nunc cogitari non liceat in tali materia, vt religioso non licet dispensare pecuniis, tamen si ita cogitaret, scilicet, & habere, darem pauperibus, & in hoc delectaretur non peccaret, imo forte mereretur, quia tota illa delectatio procedit ex motu misericordie, quod per se est honestum, & licitum, & per accidens est quod applicatum ad talem materiam non liceat huic persone: secus vero est quando motiui per se est inhonestum.

XII. Tertio sequitur delectari in actu, qui nunc est per se malus, apprehenso tamen prout in futuro tempore erit honestus esse ex genere suo mortale, si actus sit talis, ita Nauar. supra, licet Caietanus tom. 2. opusculo. 2. tractatu 14. dubio. 2. oppositum sentiat, non satis constanter: siquidem est eadem ratio in hoc, & in actu conditionato, nam etiam in hoc casu accipit quis delectationem hic & nunc sibi illicitam sub illo titulo, actus futuri liciti, sicut alius fruatur sub titulo, licita conditionis.

XIII. Quarto sequitur, non licere delectari de actu licito preterito, si in presenti statu iam est intrinsece malus: contrarium indicat Caietanus in Summa, & in illo opusculo. Et habet apparens fundamentum, quia est eadem ratio de actu, & delectatione: sed licet nunc consentire, & approbare preteritum actum: ergo & delectari. Confirmatur, nam obiectum illius delectationis per se bonum est, & differentia preteriti, vel futuri nihil videtur referre. Sed intelligendum est licitum quidem esse iudicio, & voluntate approbare preteritum actum, & veluti spiritualiter gaudere de illo quatenus est actus iustitie, vel temperantie: non est autem licitum cogitando illum actum delectationem sensualem capere, & in illa consentire: quod patet ratione facta, quia ille actus in presenti statu est inhonestus: ergo & delectatio que illi est coniuncta quatenus hoc

tempore fit. Vnde potius eadem ratio est de delectatione ista, & de illa, que est sub conditione, vel actu futuro: nam semper delectatio illa est eiusdem rationis cum illa, que coniuncta est actui matrimonij, cum tamen re vera hic, & nunc non sit talis actus, sed potius fornicationis. Confirmatur: nam si quis vellet exercere illum actum hic, & nunc secundum presentem statum, peccaret sine dubio: ergo etiam si vult actu delectationem illam: & hoc tandem modo videtur Caietanus se exponere, licet obscure. Neque obstat ratio in contrarium, concedo enim esse eandem rationem de actu, & delectatione, si pro eodem tempore sumatur, & pro eiusdem circumstantis, non est autem eadem ratio de delectatione presenti, & actu preterito: nam licet sola temporis successio non efficiat istam variationem honesti, vel turpis, tamen in diuersis temporibus potest obiectum, vel circumstantia variari.

Quinto sequitur, non esse licitum delectari de actu preterito qui per se malus est, licet ex ignorantia inuincibili, vel alia ratione fuerit commissus sine culpa. Patet ex dictis. Sed est aduertenda differentia inter istam delectationem, & precedentem, nam quando actus preteritus est per se honestus, licet postea consentire in illum, quamuis non semper liceat delectationem nouam eiusdem rationis capere: tamen quando actus per se est malus, & aliunde excusatur, postea neque consentire in illum licet, neque velle illum. Ita Palud. 4. d. 8. quest. 1. & Adrian. qu. 4. de Eucharistia, & Soto d. 12. quest. 1. articulo 7. Et ratio est, quia ille actus per se est prauum obiectum, & ideo numquam licet illum velle. Confirmatur, nam ille actus preteritus excusatur, quia fuit inuoluntarius: ergo si accedat voluntas, non erit vnde excusetur. Videantur dicta supra de conscientia erronea.

Addendum est tamen primo, actum preteritum non fieri malum propter consensum habitum, quia numquam ille actus procedit a mala notitia, sed solum se habet per modum obiecti: solum ergo motus interioris consensus peccatum est. Secundo addendum est, quamuis non liceat licet gaudere de actu preterito secundum se, & propter eius voluntatem, licet tamen esse gaudere de bono effectu inde sequuto, atque adeo de illo actu tanquam vt fuit causa talis effectus, licet dicti autores videantur repugnare, tamen in hoc conuenit D. Thomas 4. d. 9. articulo 4. & 5. & D. Antoninus 2. p. titulo 6. cap. 5. & Caietanus 2. 2. quest. 154. articulo 5. Nauar. supra. Syluest. & alii. Ratio est, quia ille effectus potest esse secundum se honeste amabilis: ergo id quod est causa eius, vt sic, potest honeste amari, si aliunde non sit turpitudine, vt in proposito nulla esse videtur, quia neque amatur talis actus per se, neque delectatio eius, neque preterea in re ipsa male vel inhoneste fit. Sed contra: ergo licebit desiderare illum actum illo modo. Respondeo per se concedo. Ita Nauar. qui late hoc confirmat, sed eadem ratione probatur, quia vt sic non est malum obiectum. Sed vrgebis: ergo licet desiderare: ergo & procurare. Respondeo negando consequentiam, nam sepe non licet conari ad exequendum omne id, quod licet desiderare, & ratio est, quia non quidquid possum pati ab alia causa sine peccato, possum ego licite facere, vnde interdum licet desiderare propriam mortem, vel alterius, & non procurare, vel efficiere.

(o)

PVNC

XIV. 5. Corollarij

XV. Observatio 1. pro dictis

14 15 vide 13 in Samnate ab J. m. 41.

PREZ OTIO

PUNCTUM II.

Quando voluntas censetur consentire.

XVI. PRO secunda parte questionis posita in fine numeri 1. quando scilicet iudicandum sit voluntatem plene consentire, breuiter aduertendum est, istum consensum duo requirere, aduertentiam intellectus plenam, & perfectam, & motum voluntatis, & quando ista duo conueniunt, est non solum plenus, sed etiam directus consensus voluntatis, qui sufficit, licet per vnum instans tantum duret, non est enim ex tempore perfectio consensus pensanda, licet Almayn. supra

1. Caput imperfecti consensus est imperfecta aduertentia.

oppositam indicet: nam licet sit verum, deliberationem perfectam requirere tempus, tamen posita iam debita aduertentia consensus fieri potest subito. Ex quo sequitur ex duplici capite posse istum consensum non esse perfectum: primum est aduertentia intellectus: & quidem si aduertentia nulla omnino sit, nullus quoque est consensus: atque adeo nullum peccatum veniale, quia totus ille motus est naturalis: & licet duret per tempus aliquid delectatio & motus in sensu, si tamen dispositio rationis sit semper eadem, nullum adhuc est peccatum. Nam, vt ait D. Th. art. 6. ad 3. delectatio haec non est morosa ratione temporis, sed ratione voluntatis, idemque sentiunt alii: & colligitur ex August. 12. de Trinit. cap. 12. si tamen aduertentia sit aliqua, imperfecta tamen, erit quidem aliqualis consensus, sed non qui sufficiat ad peccatum mortale.

XVII. Quando intercedat haec imperfectio.

Est autem difficile cognoscere quando adest aduertentia, & tamen imperfecta propter quod Ocham, quem Almayn. refert, nullam credidit esse aduertentiam rationis quasi mediam, id est, quae sufficiat ad veniale, & non mortale: sed omnes Theologi illam admittunt, alias nullum esset peccatum veniale ex susceptione: potest autem explicari, vel quia tam naturalis est illa aduertentia: vt non habeat homo locum perfecte deliberandi, vel certe, quia aliquo modo aduertit quid agat, tamen non aduertit malitiam, & turpitudinem. Denique quia licet possit simpliciter aduertere, tamen non cum pleno dominio sui actus: vide Caietanum supra, & Adrianum q. 4. de Eucharistia, & Gersonem 2. p. Alphabeto 3. solum est notandum istum defectum aduertentiae in tantum excusare, in quantum ille est inuoluntarius: quare si illa in aduertentia sit voluntaria, non excusabit: potest autem esse voluntaria vel in se, vel in causa, vt quando quis scienter se exponit periculo morali patiendo istos motus, qui mentem eius raptant, arbitror tamen raro, aut numquam hoc esse peccatum mortale, nisi aliquis directe illud praevideat, & velit, quia non potest homo tam a longe humano modo praevenire istas motiones, & in aduertentias. Vide, si placet, supra tract. 2. disp. 4. sect. 3.

XVIII. 2. Caput imperfecti consensus. An non cohibere appetitum sit consentire perfecte. 1. Sententia negans.

Secundum caput huius imperfecti consensus esse potest, postquam fuit plena aduertentia rationis, in quo dubium est, an posita ista aduertentia si directe voluntas non consentiat, censenda sit saltem indirecte, & virtute consentire, si veluti negatiue habeat, & non curet excutere delectationem, & concupiscentiam, licet illam non velit. Prima sententia simpliciter negat ibi esse consensum sufficientem ad mortale: ratio est, quia tota haec obligatio oritur ex pracepto negatiuo non concupiscendi. Hoc autem praceptum non obligat ad agendum, atque adeo neque ad depellendum motum naturalem, sed neque ad consentiendum. Confirmatur, quia de-

lectatio appetitus naturalis est, & nulli est nocua. Tandem, quia alias semper teneretur homo expellere istam delectationem statim, atque sentit illam, neque liceret illam vnquam permittere, quod est falsum, & sequela patet, quia si illa obligatio oritur ex pracepto naturali: ergo oppositum est intrinsece malum, ita Henric. quodlibeto 6. q. 4.

Secunda sententia contraria sine distinctione affirmat ibi esse plenum consensum morale indirectum: ita D. Thomas, & Nauar. & Caietanus indicant. D. Thomas 1. 2. qu. 74. art. 7. ad 3. & 4. & art. 8. ad secundum, & qu. 15. de veritate artic. 4. ad 1. Syluest. & alii Summistae, & Adrianus supra. Fundamentum esse debet, quia praceptum negatiuum, quod prohibet actum de se malum, non solum prohibet consentire in illi actum, sed etiam permittere, vt g. mortem proximi, si possum impedire, vt si ab altero moueretur ad percutiendum alterum; teneretur non solum non consentire, sed etiam resistere: & eodem modo mulier, cui violentia infertur, teneretur resistere, si potest: ergo similiter, & c. ergo si non faciat indirecte consentit, & vult illam delectationem.

XIX. Sententia indistincte affirmans.

Et haec sententia vera est, si recte explicetur: nam ex opposita simpliciter prolata sequuntur multa incommoda. Sed primo addendum est intelligendum esse quando omnino nullam diligentiam quis adhibet vt excutiat delectationem: nam si aliquam diligentiam faciat, licet non tanta sit, quanta esse debet, poterit consensus esse imperfectus ratione diligentiae imperfectae: quanta vero & qualis sit ista negligentia, vix potest a nobis dici. Secundo addendum est non eodem modo teneri hominem ad non consentiendum, & ad expellendam delectationem: nam primum per se primo oritur ex pracepto negatiuo naturali, non consentire, & ratio pro semper obligat, & ideo nullo titulo neque occasione licet se exponere periculo consentiendi. Secundum vero oritur potius ex affirmatiuo pracepto, licet in negatiuo contento, & omnino non obligat pro semper. Simile est, quod dixi agendo de voluntario indirecto.

XX. Iudicium de hac sententia.

Vnde sequitur tunc censeri aliquem indirecte consentire, quando sine iusta causa non conuulserat pellere delectationem illam, nam tunc contentio tribuitur voluntati, non necessitati. Secus vero est si ex rationabili causa permittat id facere: rationabilis autem causa numeratur duplex, prima si probabiliter quis timeat eo magis esse augendam concupiscentiam sensus, quo ipse magis conetur ad illam expellendam, colligitur ex D. Th. 2. 2. quest. 35. artic. 1. ad 4. & ratione, quia tunc resistere potius esset cooperari. Addunt vero Nauar. & Caietanus non esse mortale non depellere concupiscentiam istam ex quodam contemptu, quando nullum est prorsus periculum consensus voluntatis, licet etiam speraretur fore, vt depelleret concupiscentiam, si conaretur: sed mihi hoc non placet: quia non tantum ratione periculi consensus, sed per se quis teneretur vitare istam concupiscentiam si facile potest: neque excusat dictus contemptus, quia ille tunc non est bonus, quia est contra legem, addo tamen illam causam vere non tam esse ad non depellendam delectationem, quam ad non depellendam tali modo, scilicet positue agendo, & quasi resistendo illi, nam negatiue, & quasi fugiendo teneretur illum pellere, id est, reuocando mentem ad alias cogitationes, nam hoc semper potest prodesse, & non obesse. Secunda causa quae ab omnibus probatur, est quando ad depellendam illam concupiscentiam necessarium est omit-

XXI. Non regulariter conuulserat pellere delectationem illam, nam tunc contentio tribuitur voluntati, non necessitati.

est omittere aliquam actionem honestam, vt studium, & confessionem, & c. ablatum enim periculo consensus affirmatiuum praeceptum non obligat cum tanto discrimine, praesertim cum ille motus naturalis per se non fit malus moraliter. Confirmatur, quia alias homines deberent semper esse solliciti, & ita bona praetermittere. Vide Caietanum *opusc. tract. 22.* Quanta vero, & qualis debeat esse utilitas istius operationis, varie explicatur ab auctoribus, & non potest certa regula praescribi, solum sunt aduertenda duo. Primo considerandum est, an opus ex natura sua sit aptum natum ad excitandam istam concupiscentiam, nam tunc fere semper vitandum est, quando non est ingens utilitas, vel necessitas. Vide Caietanum *verbo Interrogatio*, si vero opus non ex natura sua id habet, sed per accidens, raro tenetur homo illud relinquere propter concupiscentiam suborituram, quia ea quae sunt per accidens, proprie non cadunt sub lege. Item, quia saepissime id fit tentatione daemone, qui inde sumit occasionem, nam non solum quando honestum est opus, sed interdum, etiam si aliis sit malum, tamen utile ad res humanas, vt agere iter, & c. non tenemur illud omittere, ne sequatur concupiscentia quae est communis sententia. Aduertendum secundo, qualis sit concupiscentia, quae sequitur, nam quanto illa fuerit gratior, aut magis consummata, tanto maiori studio excutienda, vnde oportebit interdum omittere aliquam actionem, si sit periculum talis concupiscentiae, non vero si sit minoris, & eodem modo minori culpa vitanda sunt ista, quando statim, & in vigiliis timentur, quam si in futuro, & in somno timentur, quia illa sunt minus humana, & minus certa, & minus periculum consentiendi, quod in hac materia semper non nihil timendum est, teste Aug. *lib. de honestate mulierum*, & Hieron. *epistola ad Eustochium de Virginitate*.

SECTIO VIII.

An impotentis exterioribus sit peccatum.

- I. Hae quaestio expedita est supra ex dictis de malitia morali, *tractatu 3. disput. 10.* & ideo nunc summam ibi dicta proponemus. Prima propositio. Actus exteriores per se sunt obiectiue mali, atque adeo peccata: licet haec peccati denominatio secundum vsitatum loquendi modum non proprie obiectis, sed actibus, vt actus sunt, tribuatur.
- II. Secunda propositio. Actiones istae, vt ad propriis principiis procedunt, non habent, quod sint peccata, id probatur, quia vt sic, non sunt actus vitii.
- III. Tertia propositio. Iste actiones dicenda sunt simpliciter peccata quatenus a voluntate procedunt, licet tota malitia, & deformitas sit per denominationem ad voluntatem. Hae vltima assertionis pars constat satis ex superioribus: prior vero probatur ex communi modo loquendi Scripturae, nam *Matth. 5. & 15. & ad Romanos 6. & 1. ad Corinth. 6. ad Gal. 5.* istae actiones vocantur peccata: item ex definitione Augustini peccatum est *dictum, vel factum, & c. contra legem Dei*: certum est autem istas actiones etiam esse legem prohibitas. Confirmatur, quia non tenemur confiteri nisi peccata, tenemur autem confiteri istas actiones exteriores. Tandem ratio propria *Suarez in primam secundae D. Thom.*

est, quia istae actiones ex natura sua subiiciuntur voluntati, & procedunt ab illa, & ideo ab illa, tanquam a forma, & principio denominantur, & hanc esse sententiam Diui Thomae, constat tum ex dictis de omissione exteriori, tum ex his, quae ipse docet *prima secundae quaestione octuagesima prima, articulo primo*.

Solum obstat, quod idem D. Thom. *q. 74. art. 2. ad 3.* dicit actionem exteriorem non esse peccatum etiam denominatione extrinseca, nam hoc dicit differre ab actione appetitus sensitui, cum tamen in nostra sententia nulla videatur esse differentia. In qua re Caietanus, & Thomae valde laborant. Ego vero dico quoad rem ipsam, re vera nullam esse differentiam, tamen, vt iam supra iterum insinuaui, secundum appropriationem, potest esse aliqua: nam quia appetitus sensituius a principio intrinseco mouetur in bonum, & malum, quod est proprium motus voluntarii: membra autem exteriora mouentur solum vt organa quaedam, ideo peccatum magis attribuitur appetitui sensitui, quam exterioribus membris, quod etiam ideo obseruauit D. Th. vt etiam intelligeremus, quare in appetitu sensituius possunt esse actus vitiosi, & non in membris exterioribus. Vnde etiam constat, quomodo intelligendum sit, quod supra diximus, & D. Thomas *art. 2.* omne peccatum esse actum immanentem, nempe ratione illius formae, a qua oritur peccati denominatio, licet etiam aliquae actiones transeuntes poterunt etiam denominari peccata.

SECTIO IX.

An sit aliqua causa alia intrinseca peccati.

Causa interior peccati dici potest, vel lato modo omnis dispositio peccatoris, quae est occasio peccandi: & hoc modo praecipue est duplex causa inter dictas, scilicet ignorantia, & passio, de quibus iam diximus: alio modo potest sumi proprie causa, quae directe, & per se insluit in peccatum, & hoc modo dicenda sunt duo.

Prima propositio. Habitus etiam sunt causa peccatorum interna. Patet, quia in vniuersum habitus sunt causa actuum. Dices, habitus minuit peccatum, quomodo ergo est causa eius? Respondeo primo per se non minuit, imo auget, vt diximus superius. Secundo non solum augmentat, sed totius peccati est causa ipse habitus simul cum potentia falsum est igitur quod assumitur.

Secunda propositio. Quatenus vnus actus voluntatis potest esse causa alterius, fieri potest, vt vnum peccatum sit causa alterius, ita D. Thom. *1. 2. qu. 75. art. 4.* vbi probat, quia actus est causa habitus, deinde habitus est causa sequentium actuum: ergo & actus actuum, quae ratio solum probat causalitatem per accidens, nisi moraliter exponatur. Aliter probatur, quia vnum peccatum potest esse causa alterius eo modo, quo intentio finis est causa electionis mediorum, quem causandi modum explicat D. Thomas *1. 2. q. 84.* per quatuor articulos, quem vide.

Aduerte primo cum inquit appetitum diuinarum esse causam, & radicem omnium peccatorum ex Paulo *1. ad Thimoth. vltimo*, non esse necessariam, sed, quia ista radix est sufficiens ad importanda reliqua peccata, vel per modum praedictionis, vt dictum est, & exponit Durand. *2. d. 24. q. 3.* vel per modum fomenti, & instrumenti

Mm omni-

IX. presentia similitudo man:

XX. iudicium de sententia

XXI. non repugnat re communitate sententia

REZ OTIO